

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0802

0800

0806

0796

0811

0791

0851

0751

0901

0701

0301

Ende

Anfang

229

Quarto videre restat, an Christianus sine peccato possit
muscheam intrare, non ad adorandum, nec ad perditionem,
nec ad ignominiam aut truffam faciendam, sed solum ad vi-
dendum, tam muscheam quam ritum ejus. **Credo**, si sine
periculo ingredi poterit et sine nota, quod non committat
magnum peccatum, quamvis curiosus videatur esse, nisi de-
votio eum et non curiositas impelleret. Si enim muschea
stat in loco aliquo sancto, et Christianus occulte potest et
sine nota et periculo habere ingressum et egressum, tum
merito potest ingredi et terram deosculari et orationem
fundere, sicut fecimus in muschea, quae est supra sepulchrum
David, de quo fol. 97. B. Et libenter fecissemus idem in
muschea Ebron, quae est super duplicem speluncam, sicut
patet Part. II. fol. 8. Si autem non potest haberi ingressus
nisi cum periculo vel cum gravibus expensis, non prudenter
facit, qui talem locum ingreditur. Novi militem, et hodie in
humanis vivit, qui desiderio videndi templum, de quo loqui-
mur, tractus, pactum cum quodam Mamalucco fecit, ut eum
indutum habitu sarracenico induceret, quo facto vetus Mama-
luccus cum veste indutum socium nostrum induxit usque ad
introitum atrii templi, ubi dum essent et iam intrare vellent,
tantus terror invasit militem, quod p[re]a tremore vix stare
poterat, nec ausus fuit intrare, sed reversus venit ad nos,
gaudens se liberatum a proposito. Nec mirum, quod timuit
propter vitae periculum, cum de fidelitate sui ductoris
certus non fuit. Quamvis etiam ego ipse libenter nova et
curiosa videam, (263 A) ad templum tamen illud ingredien-
dum numquam fui tentatus, suffecit mihi aspectus ejus, quo
fateor me persaepe fuisse turbatum et scandalizatum, dum
templi illius munditiem, ornatum et compositionem ad nostras
comparem ecclesias, quae, pro pudor! quasi stabula bestiarum
sunt. Stant enim nostrae ecclesiae immundae, perviae ut
divisoria, spurciis inquinatae, in nostram maximam confu-
sionem, et in sacramentorum contemptum et vilipendium. Ingens
confusio est, videre in Jerusalem ecclesiam resurrectionis
Christi stare paene absque decore, tamquam hospitale fumosum
et cernere ecclesiam Machometi nitidam et mundam, tamquam
regale palatum. O quam dissimilis proportio et aliena comparatio

